

Tekst 1

Apollo en Daphne

497 Spectat inornatos collo pendere capillos,
498 et "Quid, si comantur?" ait; videt igne micantes
499 sideribus similes oculos; videt oscula, quae non
500 est vidisse satis; laudat digitosque manusque
501 brachiaque et nudos media plus parte lacertos;
502 si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura
503 illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:
504 "Nympha, precor, Penei, mane! Non insequor hostis;
505 nympha, mane! Sic agna lupum, sic cerva leonem,
506 sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
507 hostes quaeque suos; amor est mihi causa sequendi.
508 Me miserum, ne prona cadas indignave laedi
509 crura notent sentes, et sim tibi causa doloris!
510 Aspera qua properas loca sunt. Moderatius, oro,
511 curre fugamque inhibe; moderatius insequar ipse.
512 Cui placeas inquire tamen; non incola montis,
513 non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
514 horridus observo. Nescis, temeraria, nescis
515 quem fugias, ideoque fugis. Mihi Delphica tellus
516 et Claros et Tenedos Pataraeaeque regia servit;
517 Iuppiter est genitor; per me quod eritque fuitque
518 estque patet; per me concordant carmina nervis.
519 Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
520 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
521 Inventum medicina meum est opiferque per orbem
522 dicor et herbarum subiecta potentia nobis.
523 Ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis
524 nec prosunt domino quae prosunt omnibus artes!"

525 Plura locuturum timido Peneia cursu
526 fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,
527 tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,
528 obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
529 et levis impulsos retro dabat aura capillos;
530 aucta fuga forma est. Sed enim non sustinet ultra
531 perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat
532 ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
533 Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
534 vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem,
535 alter inhaesuro similis iam iamque tenere
536 sperat et extento stringit vestigia rostro,
537 alter in ambiguo est an sit comprehensus et ipsis
538 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit;
539 sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.

Ovidius, Metamorphoses 1.497-539

Tekst 2

Uit de brief van Paris aan Helena

163 Da modo te, quae sit Paridis constantia nosces:
164 flamma rogi flammis finiet una meas.
165 Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam
166 pollicita est nobis nupta sororque Iovis,
167 dumque tuo possem circumdare brachia collo,
168 contempta est virtus Pallade dante mihi.
169 Nec piget aut umquam stulte legisse videbor:
170 permanet in voto mens mea firma suo.
171 Spem modo ne nostram fieri patiare caducam
172 deprecor, o tanto digna labore peti.

173 Non ego coniugium generosae degener opto,
174 nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris.
175 Pliada, si quaeres, in nostra gente lovemque
176 invenies, medios ut taceamus avos.
177 Regna parens Asiae, qua nulla beatior ora est,
178 finibus immensis vix obeunda tenet.
179 Innumeras urbes atque aurea tecta videbis
180 quaeque suos dicas templa decere deos.
181 Ilion aspicias firmataque turribus altis
182 moenia Phoebeae structa canore lyrae.
183 Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
184 Vix populum tellus sustinet illa suum.
185 Occurrent denso tibi Troades agmine matres,
186 nec capient Phrygias atria nostra nurus.
187 O quotiens dices "Quam pauper Achaia nostra est"!
188 Una domus quaevis urbis habebit opes.
189 Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram:
190 in qua tu nata es, terra beata mihi est.
191 Parca sed est Sparte, tu cultu divite digna;
192 ad talem formam non facit iste locus.
193 Hanc faciem largis sine fine paratibus uti
194 deliciisque decet luxuriare novis.
195 Cum videas cultus nostra de gente virorum,
196 qualem Dardanias credis habere nurus?

197 Da modo te facilem nec dedignare maritum
198 rure Therapnaeo nata puella Phrygem.
199 Phryx erat et nostro genitus de sanguine, qui nunc
200 cum dis potando nectare miscet aquas;
201 Phryx erat Aurorae coniunx, tamen abstulit illum
202 extremum noctis quae dea finit iter;
203 Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
204 gaudet in Idaeis concubuisse iugis.

205 Nec, puto, collatis forma Menelaus et armis
206 iudice te nobis anteferendus erit.
207 Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
208 lumina, qui trepidos a dape vertat equos;
209 nec Priamo pater est soceri de caede cruentus
210 et qui Myrtoas crimine signat aquas;
211 nec proavo Stygia nostro captantur in unda
212 poma nec in mediis quaeritur umor aquis.

Ovidius, Heroides 16.163-212

Tekst 3

Jupiter heeft door middel van een wereldwijde overstroming de hele mensheid uitgeroeid. Alleen Deucalion en zijn vrouw Pyrrha zijn gespaard gebleven. In de onderstaande tekst beschrijft Ovidius wat zij doen als het water weer gezakt is. De tekst begint met enkele sombere opmerkingen van Deucalion.

363 "O utinam possim populos reparare paternis
364 artibus atque animas formatae infundere terrae!
365 Nunc genus in nobis restat mortale duobus
366 — sic visum superis — hominumque exempla manemus."
367 Dixerat, et flebant. Placuit caeleste precari
368 numen et auxilium per sacras quaerere sortes.
369 Nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas undas,
370 ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.
371 Inde ubi libatos irroravere liquores
372 vestibus et capiti, flectunt vestigia sanctae
373 ad delubra deae, quorum fastigia turpi
374 pallebant musco stabantque sine ignibus arae.
375 Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
376 pronus humi gelidoque pavens dedit oscula saxo;
377 atque ita "Si precibus" dixerunt "numina iustis
378 victa remollescunt, si flectitur ira deorum,
379 dic, Themis, qua generis damnum reparabile nostri
380 arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus."

Ovidius, Metamorphoses 1.363-380

<i>Aantekeningen</i>	
<i>regel 363-364</i>	paternis artibus <i>Deucalions vader Prometheus had vroeger de eerste mensen gevormd uit klei</i>
<i>regel 364</i>	anima levensadem infundo + dativus inblazen in terra klei
<i>regel 365</i>	nos duo wij tweeën resto in + ablativus alleen nog bestaan uit
<i>regel 366</i>	visum + dativus er is besloten door exempla <i>Predicatief vertalen</i>
<i>regel 367</i>	flebant <i>Onderwerp: Deucalion en Pyrrha</i> Placuit <i>Vul aan: eis</i>
<i>regel 368</i>	sors, sortis orakelspreuk
<i>regel 369</i>	Cephisidas undas (<i>accusativus meervoud</i>) de rivier de Cephisus
<i>regel 370</i>	ut t/m secantes die nog wel wat modderig was, maar toch al weer herkenbaar als rivier
<i>regel 371</i>	inde libatus uit de rivier geschept irroravere = irroraverunt
<i>regel 373</i>	deae <i>Bedoeld is de godin Themis</i> fastigium gevelsteen
<i>regel 374</i>	sine ignibus <i>Alle offervuren waren door de overstroming uitgegaan</i>
<i>regel 375</i>	tetigere = tetigerunt
<i>regel 378</i>	vinco overhalen flecto tot bedaren brengen
<i>regel 379</i>	Themi (<i>vocativus</i>) Themis qua <i>Verbind met arte (regel 380)</i>
<i>regel 380</i>	genus nostrum de mensheid ars, artis manier